

Peter Tschudi¹⁾ an Vadian.

Paris. 1520. Juni 20.

Entschuldigung, dass er es gewagt, an Vadian zu schreiben, namentlich auf Bitten Konrad Grebels. Lob der Gelehrsamkeit Vadians insbesondere mit Rücksicht auf seine sonst in dieser Hinsicht gering geachtete Heimat.

Ioachimo Vadiano Petrus Scudus S.

Quod homo extremæ sortis nulloque tibi domestico congressu agnitus haudquaquam ad te scribere erubuerim, doctissime Vadiane, id nolim meæ vel impudenciæ vel temeritati ascribas, sed meo partim in te amori, qui non potest non esse sincerissimus, partim vero genero tuo Conrado Grebelio, clarissimæ indolis adolescenti, qui usque adeo ad scribendum stimulos subdidit, ut vel impudentissimum fuerit, non tantis hominis precibus obtemperare; nam quo magis id deprecabar munus, hoc

is instabat acrius nec unquam urgere destitit, donec has qualescunque extorsisset. Quippe qui miram quandam morum tuorum mansuetudinem et omniugam in literis eruditionem, comissima temperatam civilitate, tum vero etiam perquam humaniter ad indoctorum lapsus conniventem prædicaret^{a)}; quo factum est, ut ipse prope calamus tibi literas exarare flagitaret ultroque iam impulsus eam sibi scribendi provinciam deligeret, quam ante prorsum aversabatur. Nec adeo is tamen pudorem omnem absersit, ut non vel aliqua saltem illius adhuc scintilla urgeat. Perfacile namque^{b)} fuerat, hominem literatorem, ut qui vixdum a limine gustasset studia, quibuscunque oblinere fucis, quo illis conciliaretur benevolentia; nam is illorum genius est, ut illico in sui quispiam admirationem erigat, si vel variis orationum phaleris vel inaudita exoticorum verborum scaturiente oratione demulceat, ad quæ non secus, quam Pythii^{c)} etiam Apollinis oraculum, excordes illi narisque prorsum obesæ obstupescunt. Tui vero longe amplior est ratio, cui omnia etiam nunc literarum arcana perspecta sunt, omnia penetrata latibula, in quibusque adeo nil sit reconditi, quod non summis pensitaris studiis insignique (si quisquam alius) ingenii rimatus sis acumine. Et quod inprimis suspiciendum: parata tibi in utroque dicendi genere facultas, ut iuxta prope ducas, sive soluta oratione, sive carmine quicquam in literarum monumenta referre, idque, boni superi! quam pura ubique orationis castimonia, quam venusta ornataque concinnitate, quam exacto insignium verborum selectu, quam comptis veneribus, quam festivis ubique lascivientibus gratiis, ut scrupum plerisque iniicias, in utro tibi palmam tribuant, in utro plus tibi dotum Palladis beneficentia^{d)} concesserit. Quo nomine inprimis Helvetiæ gratulandum arbitror, quin et plane triumphandum, quod talem te sit nacta, ut vel unus (si res flagitet) abunde virulentis calumniatorum linguis frenum iniicere possis. Solemne quippe id fuit exteris crebroque hactenus iactitatum, ut non Musis Helvetiorum nata ingenia cavillarentur, sed uni rustic(it)ati destinata, duræ utpote pratorum culturæ, spretæ armentorum gregumque curæ, abiectissimis demum quarumque sordium studiis, non morum civilitati, non quoquam cum reliquis mortalibus commercio, sed procul ab omni humanitate consuetudineque semotos ferino quodam ritu in abditissimis tenebrarum speluncis palle-scere. Sed contingere demum Minervæ beneficio, quos illorum latratibus obiiciamus, quorum vel nominis saltem splendore perfacile istis tenebræ offundantur. Unde futurum arbitror, ut omnibus abrosis ipsi sua sponte

suo instinctu certatim manibus pedibusque in nostram ituri sint laudem, dum viderint rupes illas innocentes, iam olim malevolorum calumniis obnoxias^{e)}, tam perspicacia tamque acuta parturire ingenia, eaque parta tam benigne alere altaque tanta fide ac felicitate ad summum literarum culmen provehere, ut eo provecta clarissima planeque omnibus stupenda ingeniorum monumenta in lucem edant^{f)}, cuius quidem tu abunde magnum specimen editis^{g)} opusculis exhibuisti; unde et doctorum passim meritis es præconia, et omnes politiorum literarum asseclas summo tibi amore studioque devinxisti. Quocirca plurimum tibi debet Helvetia illiusque debitura est posteritas, quippe quam pro virili in literis prope intermortuam una cum Glareano nostro ac Zvinglio velut ex obscurissima caligine vindicaris vindicatamque insigni literarum monumento illustraris; nam eam demum veram stabilemque laudem duco, ut quæ nullis sit rerum vicissitudinibus interitura, quæ Musarum præconiis commendatur. Quare eia age, clarissime Vadiane: perge id ipsum facere, quod semper facis, hoc est quam optime de patria mereri, id quod nunc tibi prope e consuetudine in naturam vertit; illius et gloriæ et emolumento stude, quod tum feceris, cum illius ingenia literarum peritia ornare non desieris. — Sed longior sum forsitan impudentiorque, quam res postulet, quæ utraque iuxta emunctæ naris hominem offendunt. Proinde rogo obtestorque per amorem, quo literarum tirones unice complecteris, ut si vel leviter saltem offendaris (quod vix mihi de tanta tua comitate persuadeo), ne meo id ipsum ingenio, sed amori integerrimo succenseas; qui impense adeo tibi deditus est, ut omnino gestierit ac plane velut suo quodam iure compulerit, aliquas saltem, licet ineptissimas, exhibere literas, quibus suam in te fidem studiumque flagrantissimum testaretur. Dii philii, amicitiae præsidēs^{h)}, testes sint, hæc me vere ex imis pectorum secessibus scribere citra omnes fucos, citra blanditias, citra omnem demum assentationem, nec quicquam enim æque animo meo exosum est ac veritatis prætextu phalerata adolacio. Demum oro, ut precibus a te contendere liceat, quas ne preces asperneris rogo, ut cum nullius hactenus sis amicitiam deprecatus, quin etiam pro ingenua morum tuorum mansuetudine ultro te affabilem præstiteris, me quoque, etsi ignarum prorsumque omnis civilitatis rudem, in eorum album referas, qui tibi ex animo bene cupiunt tuisque non secus studerent commodis quam suis, si qua eorum desiderares officia. Ac si quando tantillum otii curis tuis suffuraberis, ut huc cuiquam familiarium

tuorum scribas, salute tantum mei memineris oro, quo tua et mihi quoque familiaritate apud magnæ notæ viros gloriari nonnihil liceat; nam literas a te postulare, dii prohibeant, ut eo provehar impudentiæ. Nec tuæ forsitan id conditioni par erat, ut ad pueriles hos te ludos severioribus implicatus negociis demitteres. His vale viveque Nestoreos annos. XX. Iunii die, anno 1520. Parrhisiis.

Petrus Scudus Glareanus,
tuus a pedibus.

Doctissimo (viro) Ioachimo Vadiano, viro philosopho et medico.

a) Durchwegs „e“ für „æ“. — b) „nanque“. — c) „pithii“. — d) Überall „-cia“, „-ciæ“, „-cio“ für „-tia“, „-tiæ“, „-tio“. — e) „obnoxios“. — f) „ædant“, „æditis“. — g) „presides“.

1) Von *Peter Tschudi* von Glarus liegt nur dieses eine Schreiben in unserer Sammlung vor.